

כחלהי

DISSERTATIO  
PHILOLOGICO MORALIS,  
De

RAHABA HO-  
SPITA

EXPLORATORUM,

Quam

*Consentiente Ampliff. Senat. Philos. in Re-  
gia Academia Aboënsi,*

SUB MODERAMINE

*Dn. ISAACI BJÖRNKUNDO/*

*Sacrarum Linguarum Prof. Ord.*

*Publico examini modeste submittit*

ALUMNUS REGIUS

JACOBUS HAARTMAN Gab. Fil.

*Austro-Finlandus.*

Loco horisque consvetis, die' XVI.

Decemb. ANNI MDCCXXXIV.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe R. Ac. Typ.

*Joh. Gust. Creutz & Grahn*

Sacra Regiæ  
Magnæ Fidei  
REVERENDISSIMO PA-

**D. N. JONÆ**

S. Theologiæ DO-  
Dieceſeos Aboënsis EPI-  
Academiæ ibidem PROCANCEL-  
mec non Venerandi Conſistorii Ec-  
Scholarumqve per totam  
MÆCENATI

ארוץ המורה הגדול ראש כוהנים  
לרגליך הנבתי הפנה נא נגיד הגדול  
חסרך וברצונך כקדם גם לאחרונה  
על שלומך וישועתך תמיד אהיה ער  
מותי

רמ והגדול

עפ  
JACOBUS

Majestatis

VIRO,

TRI ac DOMINO,

**FAHLENIO,**

CTORI Celeberrimo,

SCOPO Eminentissimo,

LARIO Magnificentissimo,

clesiastici PRÆSIDI Gravissimo;

Dicecesin EPHORO Amplissimo,

SUMMO.

מִחֲנֹךְ וּמִחֲסֹדֶךָ עַל תְּלִמְדֵי הַכְּמוֹסִים  
שׁוֹכְנֵי אֵנוּ אֶת בְּכוּרוֹ מַעֲשֵׂי הָאֱלֹהִים  
מִנְחָתִי הִזְנֵאתָ הַקְּטָנָה וְהַקְּלָה כִּרְב  
הַבּוֹלְנֵי וְהַעֲתַרְתִּי אֶל יְהוָה הָעֲלוּן  
יְוֹ

לְשִׁמְךָ הַנּוֹ

עֲבֹד

HAARTMAN Gabr. Fil.

VIRO Maxime Reve-

D<sup>N</sup>. ANDREÆ

S. Theologiæ DOCTORI ac PRO-  
Primario  
Dieceſeos Aboëſiſis ARCHIPRÆ-  
& ad Eccleſias in Nådendahl/ Niſo &  
mo, utriuſque Conſiſtorii  
& AVUNCULO Propenſiſſimo,

Μετὰ τὴν τῶ πατρὸς μου τῶ πολυλίκις' πρό-  
σῃ δὲ Μητράδελφει γεραρὲ χρηστότης το  
οὐκ ἔνυ συζήτησιν τήνδε λεπτήν ἐκφάινω, κα-  
μεγάλω σχοιῖα καθερῶν. Ἰπολάμβω-  
φει ἄρισε, καὶ πρὸς με τὸν ὀρφανὸν εὐνοικῶς  
λοι. Θεῶ τῶ ὑψίστῳ, κυρίῳ τῶ ἔργῳ, πρὸς-  
ἔχαστ' τῶ γήραθ' σὺν τῶ καὶ εὐτοχῆν' αὐ-  
ειγμῶ, τῶν σῶν ὠφέλημα, καὶ πρὸς αὐτῶν  
τῶ ἐπὶ ἀνάστα διακομίζω, ἕως ἐκ καρδίας

τὸν Μητράδελφον

Ἰακώβου

JACOBUS

ἸΑΚΩΒΟΥ ΚΑΜΠΑΝΟΥ

*rendo atque Celeberrimo*

# BERGIO,

FESSORI in Regia hac Academia  
Amplissimo,  
POSITO Celebratissimo,  
Meritissimo ANTIISTITI Vigilantissi-  
ADSESSORI Gravissimo,  
& MÆCENATI Magno.

ωρον τελευτην τᾱ ἰμᾱ μέγλιιν ἄιχεσαι ἔδοξε μοι\*  
καὶ εὐνοια ὡσεὶ πατρικὴ ἀνεπίπερσέ με. Ὅταν  
θῆκει μοι εἰς νόσ̄ σεβομένεσ τεκμηρίον αὐτὴν  
νε δὲ τῆσ̄ τοῦ δαρτημάλιον εὐμειῶσ, Μητράδελ-  
ἔχε, ὡσπερ ἔως ἀξι, ἔττα καὶ εἰς τὸ μίλ-  
ευχόμεσ̄. Ἐδέπειε παύσμαι, ἵνα σὺ ἔως  
λάτῃ, πρὸς τὸ τῆσ̄ πόμης τῆ χειρῆ ἀίλισή-  
με θεβαίαν, καὶ ποτὶ ἕκ τῆσ̄ ἐπιγυίοις εἰς  
εὐχεσαι, καὶ διὰ παλιὸς εὐξέσαι,

ταπεινοτάτως

μει

HAARTMAN G. F.

*Admodum Reverendo atq; Praclariss. VIRO,*  
Dn. Mag. NICOLAO FRIDELIN,  
Ecclesiarum quæ Deo in Korpo col-  
liguntur, PASTORI ac PRÆPOSI-  
TO Merentissimo ac Adcuratissimo,  
AVI loco æternum suspiciendo.

*Plurimum Reverendo atq; Doctissimo VIRO,*  
Dn. PETRO BERGIO,  
PASTORI in Calvola Merentissimo,  
AVUNCULO Honoratissimo.

**V**obis Patroni & Fautores Optimi, Dis-  
penicillo, ob beneficia & favorem si-  
venerabundæ mentis tesseram, una cum  
perenni felicitate, dat,

A. &

*VIRO plurimum Reverendo atq; Praclariss.*  
Dn. M. GABRIELI FORTELIO,  
Histor. ac Moral. Lectori in Gymna-  
sio Borgoënsi Laudatissimo, h. t. e-  
jusdem RECTORI Adcuratissimo,  
Synedrii Ecclesiastici ADSESSORI Æ-  
quissimo, ARCHIDIACONO Bor-  
goënsium Meritissimo, PATRUO o-  
mni observantiæ genere prosequendo.

*Plurimum Reverendo atq; Doctissimo VIRO,*  
Dn. FRIED. LUNDSTRÖM/  
RECTORI Scholæ Triv. Biörnebur-  
gensis Laudatissimo, AVUNCULO  
plurimum Honorando.

*sertationem hanc, rudi utur delineatam  
bi nullo non tempore præstitum, in grata ac  
calidissimo voto pro vestra vestrorumque  
dicat, dedicat.*


*Resp.*



## CONSPECTUS.

- §. I. *Viam ad institutum parat, brevi explicatio e vocabulorum in fronte dissertationum occurrentium.*
- §. II. *Tradit argumenta eorum, qui Rahabospitam publicam fuisse contendunt.*
- §. III. *Ostendit meretricem fuisse.*
- §. IV. *Habitaculum Rahab demonstrat.*
- §. V. *Religionem Rahab pristinam leviter tangit.*
- §. VI. *De exploratorum missione nonnulla affert.*
- §. VII. *De exploratorum susceptione, & num Rahab proditionis argui possit, disquirat.*
- §. VIII. *Nam Rahab mendacii culpari possit, inquirat.*
- §. IX. *De exploratorum fœdere cum Rahaba, agit.*
- §. X. *Jusjurandum exploratorum & Rahabe licitum fuisse, breviter monstrat.*
- §. XI. *Quatenus Josua pactis sponsionibusque exploratorum obligatus sit, indicat.*
- §. XII. *Rahabam Israelitis annumeratam, eamque a Salmone in matrimonium ductam, idq̄ licite, asserit.*





כש — יהוה

§. I.

**M**Orem disputantium solutum, in expositione vocabulorum inscriptionis, heic plane contemnere nolo: leviter itaque ea attingam, operosam evitans commentationem, quam eorum perspicuitas requirere haud videtur, nec laboris institutique ratio admittit. Prius autem te L. H. quam me ipsi labori accingo, rogandum volo, digneris hosce innocuos conatus, si non promovere, saltem non im-

A

pro-

2  
probare: hoc facto me tibi reddis obstrictissimum.

Primum, quo dissertatiuncula nostra inscribitur, vocabulum est *Rahab*, nomen proprium Cananææ cujusdam feminæ, civis Ierichuntinæ, quæ exploratores a Josua duce Israelitarum emissos pacate suscepit, incolumesq; dimisit: de qua præter alia loca, præsertim Josuæ II:do capite commemoratur. Rahab רחב est vox Hebraica, denotatque, si adjective accipitur, *latam*, *amplam*; substantive autem *latitudinem*, *amplitudinem*: a radice רחב dilatatus fuit, in hiphil הרחיב dilatavit. Et quandoquidem Græci nudam aspirationem in media voce exprimere nequeunt, etiam hoc nomen plerumque contiguis vocalibus efferunt פααβ, ut Ebr. XI. 31. Jac. II. 25. Verum quia ה aspiratio est fortior

or

3  
or, nonnunquam eandem litte-  
ra χ reddunt, ut Matth. I. 5.  
Ραχαβ, quemadmodum in non-  
nullis aliis solent, נחור נαχὼρ,  
יחיאל יεχάω. Nostrarum vero  
linguarum genio commodior vi-  
sa est simplex adspiratio in hac  
voce Rahab. Hebræum dixi es-  
se nomen; quod mirum videri  
poterit cogitanti, mulierem hęc  
gente Cananæam fuisse, neque  
Hebræis unquam ante ingres-  
sum eorum in Canaan mixtam.  
Doctorum de hac re sententię  
valde discrepant. Nobis tum  
hoc, tum aliis multis nominum  
propriorum inter Cananæos ex-  
emplis, vero videtur simillimū,  
magnam fuisse affinitatem lin-  
guę Hebręę atque Cananęę,  
ut mutuo sermonis commercio  
uti possent. Gentes enim ali-  
quot in oriente vicinę non plu-  
rimas tantum radices commu-

nes, sed & forte multam in formis convenientiam diu servarunt, nisi Mosen cognatæ linguæ nomina, ab iisdem fontibus petita, habitu Hebræo vestiisse dicamus (\*).

*Hospita* seu *hospes* est alterum vocabulum in dissertationis indice occurrens, significatque talem feminam, quæ hospitio rectoqve excipit advenientes. Sic hospita terra dicitur, in qua facile suscipimur. Hebraice בעלת טלון appellare liceat. Aliquando hospita valet de-copa seu muliere cauponia, quæ non adeo hospitalitate, quã lucri gratia hospites excipit, publicoqve præest diverforio. Quo sensu Hebræum ורבה, etiam de Rahaba nostra prædicatum, multi accipiendum contendunt. Chaldaus eam שובד קרת vocat. Græcis est πανδοχέυσεια, καπηλις. Sed priore sensu Φιλόξεσις, Ξενοδοχέυσεια. Sve.

5

Sveci hospitam vertunt per Wårdinna / Fenni laxius per E-mändä / pressius Bierasten hol-  
hoja. Advenas excipere est of-  
ficiū juris naturalis, quo ho-  
spitales esse jubemur; ad quod  
interdum perfecte, interdum  
imperfecte, pro casuum varie-  
tate, obligamur.

Tertium ac ultimum vocabu-  
lum inscriptionis est *Explorator*.  
Hoc venit a verbo notissimæ si-  
gnificationis *ploro*; discedit au-  
tem a simplicis significatione.  
Veteres utebantur hoc verbo  
pro *exclamare*, fletu vociferari:  
& quia plorando sæpe eliciuntur  
arcanæ, seu explorator pacata  
clamore cognoscit, ut loquitur  
Festus (b), factum est, ut usur-  
pari cœperit pro *callide inquire-  
re*, sagaciter observare, perscru-  
tari. Apud Hebræos explorare  
& speculari est *חפץ*, unde par-  
tici-



ticipium **חַיִּים** speculatores,  
 exploratores, sed qui hostilia si-  
 lentio perspiciunt. Verbum af-  
 fine **לָרַח** generatim est *ire, ince-  
 dere*, explorandi & deferendi  
 causa, unde participium piel  
**חַיִּים** **מַרְאֵה** *exploratores*, quo voca-  
 bulo nuncupantur & hi duo ex-  
 ploratores Josuæ II:do capite v.  
 1. Græce vocantur *κατάσκοποι*, &  
*κατασκοπιόμας*, *considerare, explora-  
 re*. Svetice *Sespejare* / Fenni-  
 ce autem *Wacojaf* dicuntur.  
 Nomina horum exploratorum  
 ad domum Rahab advenienti-  
 um licebit ignorare, cum ea  
 Iacer scriptor non prodiderit.  
 Judæi dicunt eos fuisse Calebum  
 & Pinehan, Pontificatus hære-  
 dem. Sed hic ob munus suum  
 vix tali negotio admotus, nec  
 Caleb provectæ jam ætatis tale  
 munus obeundum suscepisse vi-  
 detur (c). Vocantur etiam ex-  
 plo-

ploratores hi Jos. VI. 23. חַבְרֵיִם  
 חֲסִרְגָּלִים Exploratores Jemenes  
 viri itaque vegeti sine dubio e-  
 rant. Viros holce exploratores  
 vix munere dignitateque fuisse  
 conspicuos existimo, cum insci-  
 is etiam Israëlitis ablegati vide-  
 antur. Philo Judæus Calebi fili-  
 os Cenez & Seenjamiarum ad diffi-  
 cile hocce exploratoris negoti-  
 um expediendum delectos a Jo-  
 sua vult, quorum parens ante  
 38. annos eodem munere fun-  
 gebatur, (d).

(a) Aug. Pfeifferi Critica Sacra  
 Cap. III. S. 2. q. 3. V. E. Lxv. b. de  
 caus. l. Ibr. l. 1. c. III. §. 10. seq.

(b) Conf. Chr. Beeman. de propr. vo-  
 cum signif. p. 143. (c) Calovii bi-  
 blia illustrata ad Jos. Cap. II. dum (d)  
 Calovius l. c.

§. II.

**N**Um Rahab hospita publica,  
 an meretrix fuerit, quæ-  
 stio



§  
 stio haud adeo facilis solutu vi-  
 detur, cum utriusque partis a-  
 cerrimi dentur propugnatores.  
 Qui hospitam eam seu copam  
 fuisse contendunt, sunt præcipu-  
 e Judæorum Rabbini plerique,  
 ut etiam alii viri celebres, Ly-  
 ranus, Pagninus, Vatablus, Ari-  
 as Montanus, plurimique alii,  
 (a). Argumenta eorum præci-  
 pue sunt sequentia.

I: mum est, quod nomen רַחֵב,  
 quo Rahab vocatur in sacro co-  
 dice, derivandum censent a ra-  
 dice Chaldaica רָחַץ *alere, pasce-  
 re, sustentare*; adeoque *cauponam,  
 hospitam vel cibatricem* notare.  
 Ast gratis hæc dici, ex §. se-  
 quenti patefcet, ubi de vera vo-  
 cis origine & continuo usu bibli-  
 co disseremus.

II: dum Argumentum sumunt  
 ex eo, quod paraphrastes Chal-  
 daicus vertit רַחֵב שֵׁה זֹנָה per  
 אִתָּתָא פּוֹרְנִיקִיתָא, quod denotat  
 mulie-

mulierem hospitam: nam שוכרת, unde hoc vocabulum derivatur, designat hospitium, idemque est ac Hebræorum חֲבֵרָה, *diversorium, hospitium*, & Græcorum *πυρδοχείον, hospitium publicum*, ubi singuli advenientes hospicio excipiuntur. Verum tanto minus paraphrastæ Chaldæo hic fidendum, quanto licentius etiam aliis locis רַבָּה; reddidit eadem phrasi, ubi tamen omnium consensu meretricem significat: e. g. Jud. XI. 1. XVI. 1. 1. Reg. III. 6. &c. Ergo siue labi potuit, siue per ἐπιφρηστικὰ saltem odiosa verba honestioribus exprimere studuit.

Illitium Argumentum eorum est, quod putant hanc suam interpretationem nihil quidquam justæ interpretationi locorum Novi Test: derogare, ubi Rahab vocatur *רַבָּה*: utpote, Jacob. II. 25. Hebr. XI. 31. Derivant

vant enim: *πένη* a verbo *περάω*,  
 vel *περνάω*, *vendo*; unde a præ-  
 terito medio *πέπονα* venit *πένη*  
 ac *πέναι*, cum omnia hospitibus  
 venalia præbeant; adeoque ea-  
 dem sit illarum descriptio atque  
*παιδοχέαι*, qui proprie dicuntur  
*οἱ παιδὶ πικροσκοπίες, καὶ πάντας ἀνα-  
 δεχόμενοι καὶ πηλός.* Quod autem  
*πέναι*, recentioribus temporibus  
 meretrices fuerint appellatæ, id  
 per *εὐτάλητον* factum esse dicunt,  
 eo quod in rem meretriciam cau-  
 ponæ sæpe degenerant, & me-  
 retrices simulant cauponariam,  
 (h). Ceterum & *ἐπιπικροσκοπία* objectio-  
 ni rationes opponet validiores §.  
 sequens.

IVnam Argumentum exinde  
 sumitur, quod inhonestum ex-  
 ploratoribus, viris piis honestis-  
 que, videbatur divertere ad me-  
 retricem, siue mente scortandi,  
 siue minus, hoc egissent. Im-

mo imprudens esset hoc non tantum ob suspiciones, verum etiam scortatorum advenientium metum. Neque ego existimo honestati prudentiæque eorum convenire, ut libidinis explendæ gratia eo digrederentur. Sed unde constare illis potuit, domum istam esse infamem? Locis autem talibus muro portæque civitatis proximis subsistere, ibique ad aliquem divertere consultissimum est, præcipue exploratoribus: hinc namque facile fugam capessere possent, si incolæ civitatis eorum conamina resciscerent. Ad talia loca homines variorum generum, imprimis leviores gregatim fere confluere solent; adeoque ibi melius, quam alibi civitatis statum, absque proditiōnis periculo persentiscere licet. Sed finge constitisse de infamia: potuit tamen *εὐχρησία*

πολιτικὸν huic occasioni intervire,  
 ut speciem præberent, non alio  
 se, quam reliquos, animo lupa-  
 nar subiisse. Flavius quidem Jose-  
 phus opinatur, exploratores pri-  
 us urbem pervagatos, securis o-  
 mnibus singula curiose perlu-  
 strasse (c): quod & Buddeo ve-  
 rosimile videtur (d). Ego autem  
 hoc in tanta Ierichuntinorum  
 trepidatione vix fieri potuisse,  
 mihi persvadeo.

Vt tum Argumentum inde pe-  
 tunt, quod verisimile vix videa-  
 tur, Salmonem, virum hone-  
 stum, celebremque principem  
 de tribu Juda, eam in matrimo-  
 nium duxisse, sordida si fuisset  
 meretrix. Sed non respicien-  
 dam quid pridem fuerit, quum  
 iam ad Deum Israelis vere con-  
 versa, pristinos mores ejurarit  
 exueritque. Non igitur video,  
 qui

qui connubium hoc honori Salmonis offecerit, quum Rahab jam longiori forte experientia fidem suam, Ebr. XI. 31. pietatem & vitæ universæ honestatem populo Dei satis probasset, & potissimum ob beneficia exploratoribus præstita, excelsamque animi indolem publice magni fieret. Quæ omnia infamiae notam dudum deleverant.

VI: tum Argumentum in hoc consistit, quod inconueniens ac indecorum putent, meretricem matrem factam non solum regis Davidis, plurimorumque successorum, sed etiam omnium regum Regis Christi. Hoc vero argumentum non magni esse ponderis videtur, cum & Thamar & Bathseba, utut illicito notatæ toro, tamen genealogiæ Christi accensitæ inueniantur Matth. I. 3. 6. Etenim hoc ipso, dum



dum Rahab meretrix Cananæa majoribus Christi annumeratur, edocemur, Christum, nullo ullarum gentium aut hominum facto discrimine, omnium esse servatorem.

Celeberrimus Seb. Schmidius singularem de Rahab fovet opinionem, רַבָּה non meretricem, sed pellicem denotare putans. Ita habent ejus verba: *putarim itaque mulierem ( Rahab ) fuisse bonæ fidei, a qua nihil quisquam timuerit. Unde etiam ipse rex tam facile verbis ejus credidit, quod de nullo dolo suspicaretur. Quare crediderim רַבָּה h. l. non publicum prostibulum, sed pellicem notare, olim viro, qui jam mortuus, ductam. Cujusmodi pellices honeste femine civiliter esse potuerunt, & theologice pie. Sed quoniam, quando viri eorum moriebantur, sine dote &*

*be-*



hereditate exhibant, unde viderent non habuerunt, nisi propriam a parentibus forte hereditatem possiderent. Qua destituti, cum novi matrimonii spem non haberent, diversoria peregrinorum aperuerunt, atque sic vitam suam sustentarunt. Sic Raha meretrix, Hebraeis civiliter sic dicta, quod legitima uxor cum dote & aliis ceremoniis ducta non esset, h. e. pellex tantum: nunc autem cauponariam exercebat. Unde & in Novo Testamento nomen *מְיָוֶנֶס* gerit, quatenus legitimo matrimonio contradistinguitur (e). Verum ingeniosa quidem hæc est conjectura, sed usui vocabulorum reclamās. Nam in sacro codice *מְיָוֶנֶס* & *מְיָוֶנֶס* nunquam confunduntur, aut pro uno eodemque habentur: sed tantum inter hæc duo est discrimen, quantum inter per-

permissum quid & prohibitum,  
sive inter toleratum & detesta-  
bile.

(a) Pfeiff. Dub. Vex. ad h. l. (b)  
Junius in notis ad Jac. C. II. 25. (c)  
Antiq. Jud. lib. V. c. 1. (d) Hist.  
Eccl. Vet. T. (e) in annot. ad h. l.

§. III.

**N**omen זונה, quo Rahab  
Josuæ II:do & V:to capiti-  
bus appellatur, *scortum meretri-  
cemque* notare, & ejus radicem  
זנה *scortandi* significatione veni-  
re, evincit usus vocabulo-  
rum perpetuus per universum  
codicem V. T. sacrum; e. g.  
Genes. XXXVIII. 15 ויחשבה  
; Levit. XXI. לזונה פו כסתה פניו;  
Gen. אשה זונה וחללה לא יקחו 7.  
XXXVIII. 24. זנתה תמר. Num.  
XXV. 1. ויחל העם לזנות אל.  
; aliisque in locis plu-  
rimis. Ex quo constanti notio-

num

rum concentu liquet, זנות non  
 aliam agnoscere originem, quam  
 verbum זנה. Non igitur ex offi-  
 cio boni interpretis agerem, si  
 usu biblico insuper habito, hy-  
 pothesi inserviando alienas com-  
 miniscerer originationes, & in-  
 suetum inde vocibus significatum  
 affingerem: quod foret, sensum  
 non ex scriptura haurire, sed ali-  
 unde eidem inferre. Constat e-  
 nim sibi observatio, verbum זנה  
 generatim notare *(scortari, seu*  
*foedas libidines: & proprie quidem*  
*dici de illicita corporum commixtione:*  
*sive fiat inter personas solutas, si-*  
*ue conjugatas: improprie vero*  
*per similitudinem designare (a)*  
*idololatriam, quæ est spiritualis*  
*scortatio vel adulterium: (b) gra-*  
*viora peccata, quibus homines*  
*se inquinare solent (a). Unde*  
*falluntur, qui operose contendunt*

B. ver.

verbum hoc formaliter denotare  
*derelictionem cum contemptu*. Tan-  
 tum enim abest, ut derelictio-  
 nem sine scortatione significet, ut  
 proprie designet simpliciter scor-  
 tationem sine derelictione: nam  
 dicitur & de cœlibe, seu virgine  
 sese polluente, *Leu. XXI, 9.*  
 quæ sane nullum habet virum,  
 quem derelinquat (b). A pro-  
 pria ergo radicis significatione  
 formalem suam notionem arces-  
 sit *היכל*, ut sit femina prostitutæ  
 pudicitiae, potissimū quæ corpo-  
 re quæstū facit, *scortum, meretrix,*  
*prostitutum*. Neque ulla est ratio,  
 quæ suadeat, saltim impropriad  
 ejus significationem heic esse e-  
 ligendam, qualis est *Ezech. XVI.*  
*35.* quasi Rahab ob religionis  
 tantum superstitionem & alia  
 flagitia ita appelletur. Nun-  
 quam enim a vocis proprietatis  
 ad figuratam notionem est die-

cedendum, nisi orationis *וְעָ*  
*שׁוֹמֵר* & argumenti indoles ma-  
 nifesto id requirant. Ineptum  
 enim jam foret, Rahabam so-  
 lam in narratione historica nu-  
 do hoc epitheto, in sensu figu-  
 rato, ob communia totius gen-  
 tis vitia notari. Et quid, quæso,  
 obstat, quo minus natus vo-  
 cis significatus servari queat,  
 quum fœdæ libidines inter cau-  
 sas extirpandæ gentis istius po-  
 nantur Lev. XVIII. 24?

Quod autem ad verbum *וְעָ*  
 attinet, non equidem puto ne-  
 cessarium in Chaldæam confu-  
 gere, cum illud inter Hebræos  
 usu viguisse, tum ipsa ejus for-  
 ma *וְעָ* Jer. V. 8. tum deri-  
 vata inde nomina *וְעָ* & *וְעָ* pro-  
 bent. Sed de eo quæritur, num  
 ex hoc verbo originem *וְעָ* ju-  
 re repetat: quod nullo indoneo  
 exemplo adhuc probatum est,  
 neque probari potest. Arctam enim

ubiqve convenientiam ejus no-  
 minis cum חַבַּיִם jam ostendi. Nec  
 locus Joelis III. 3. meo contra-  
 rius est sensui. Interpretes LXX.  
 vertunt: ἑδωκαν τὰ παιδάκια πώε-  
 ναις. Junius & Tremellius :  
*exposueruntque puerum pro meret-  
 rice.* Gezelius in notis pla-  
 ne secundum textum authen-  
 ticum: och gifwit en pilt för en  
 sköta til lön. Deus enim hoc  
 loco gentibus propter crudelita-  
 tem gravissimaqve ludibria in  
 Israelitas, minatur pœnas, non  
 quod pro cibo vendiderint pue-  
 ros, quod Ægyptii ob famem  
 facere coacti fuere, Genes.  
 XLVII. 19; sed quod pueros  
 tradiderint mercedem meretri-  
 cibus, suæ solum libidinis ergo:  
 quod nexus membri sequentis  
 facile evincit. Neque hic ad pa-  
 raphrastæ Chaldaici licentiam at-  
 tendendum, qui si novisset ho-  
 spitam Chaldæis dici sive, חַבַּיִם,  
 sive



sive alio nomine a ירי orfo, eo  
 usus fuisset. Multo autem mi-  
 nus sunt audiendi plerique Judæ-  
 orum magistri, qui conjecturis  
 sæpe sine ratione indulgent. Un-  
 de & celebris Rabbi Dav. Kim-  
 chi causæ debilitatem hic depre-  
 hendens, utramque adfert inter-  
 pretationem, liberumque cu-  
 jusvis iudicium non improbat  
 (c). Immo ipsimet Talmudici  
 perhibent, Rahabam per 40. an-  
 nos, quibus Israelitæ in deserto  
 circumvagabantur, corpus su-  
 um venale habuisse, idque jam  
 a decimo ætatis anno (d). Ce-  
 terum cum dico ירי הנה proprie  
 de meretrice exponi, non statim  
 nego eam potuisse cauponam  
 simul esse; cum functio mere-  
 tricium non incommoda sit illis,  
 quæ cauponariam exercent: dum  
 non solum quæstum facere pos-  
 sunt prostitutione corporum,  
 sed etiam venditione esculento-  
 rum



rum (e). Vulgatæ enim sæpe sunt pudicitia, quæ in cauponis seruiunt. Quin meretrices cauponarum apertione hospitumque officio plures ad se allicere, adeoque hanc viam voluptati suæ satisfaciendi expeditissimam ducere potuerunt. Meretricia etiam vitæ genus apud illas gentes vile magis, quam vitiosum ac turpe erat; adeo ut scortationem peccati nomine vix dignam censerent. Vere itaque Sebast. Schmidius, *fuerant ergo, inquit, nonnunquam תרבות mulieres cauponarie: ita tamen dictæ non fuissent, nisi simul fuissent meretrices* (f). Rahab meretricem fuisse probatur ulterius ex convenientia omnium circumstantiarum, quæ id contendere videntur. Habebat namque a patris domo segregata, nec tamen commemoratur de ejus vel marito vel

libe-

liberis; nec quod vidua esset dicitur (g): quod tamen in aliis fieri solet.

Sententia mea magis adhuc corroboratur locis quibusdam Novi Test. supra allatis, ubi Rahab vocatur *πόρνη*. Et quanquam nomen hoc a vendendi verbo *πώριμι*, recte deducitur: non tamen alias res, quam corpus ad venereas libidines venale respicere, constans omnium Græcorum auctorum usus docet: quorsum & reliqua omnia ab eodem themate derivata referuntur. Neque itilo sacro aliam induit notionem, sed *meretricem* perpetuo designat, sive proprie, sive figurate, plane quemadmodum Hebræum *זונה*, quod LXX. interpretes hoc nomine ubique reddunt. Sic hagiographis N. Testamenti, *meretricis* significatum per omnia servat,

vat, tum proprium 1. Cor. VI. 15. &c. tum improprium, Apoc. XVII. 1. Certum ergo est, vocem *וַיִּשְׁרָם* omnibus valere mulierem mercede pacta prostitutam, & omnium libidini patentem (b): adeo ut solis de Rahaba locis sensum *hospitibus* adscribere velle, sit adversus omnium tam sacrorum, quam profanorum exemplorum fidem niti.

(a) Stockii cl. v. L. S. v. Test. ad h. v. (b) Giffet. comment. ling. Ebr. ad h. voc. (c) S. Schmidii annotat. ad h. c. (d) Masius in comment. in Jos. II. c. (e) Dieter. Antiq. Bibl. ad h. l. (f) S. Schmid. comment. epist. ad Hebr. (g) Pfeifferi Dub. V. ad h. l. (h) cfr. Salmas. de scenor. trapez. lib. 2.

#### §. IV.

**R**Ahab in urbe Jericho habitasse, ab oraculis sacris pate-

tescit. Sita est hæc urbs in Cananæa, tribuique Benjamin in terræ divisione est adscripta Distabat ab Hierosolymis 150. stadiis, seu ultra quatuor milliaria Germanica, a Jordane autem 60. stadiis. Urbs hæc Iericho יריחו a nonnullis derivatur a ירח luna, sive ob formam lunarem istius planicie: sive quod lunæ phases illic observarent: sive quod inter maxima luminaria istius haberetur terræ. Alii vero deducunt יריחו a ירח odorari, quod aliquanto propius accedere videtur: quoniam urbs hæc erat sita in campo amœnissimo fertilissimoque, abundantioris floribusque fragrantissimis (a), nec non palmis quam plurimis: unde etiam dicta יריחו civitas palmarum, Deut. XXXIV. 3. Jud. I. 16. 2 Chron. XYVIII. 15. Immo Judææ illud

lud decus, balsamum in hoc potissimum tractu uberrime proveniebat; ibi enim balsami paradisum ponit Strabo (b). Urbem hanc validam munitissimamque fuisse patet ex verbis Josuæ cap. II. 1. *videte*, inquit, *terram* & maxime *Fricho*. In hac enim urbe expugnanda, maximum victoriæ momentum Israelitis erat positum. De fati eius differere non vacat. Quoniam autem loco Rahab in hac civitate habitavit, propene mœnia, an in pariete mœnium, an supra mœnia, res haud adeo facilis primo præsertim obtutu adparet, cum non eundem omnes sensum ex sacri scriptoris verbis hauserint. Textus originalis in Jos. II:do c. v. 15. ita habet: כִּי בֵיתָהּ בְּקִיר : החומה ובחומה היא יושבת. Tremellius & Junius ita vertunt: *nam domus ejus erat imposita parieti*

*si mœnium, ita ut in ipsis mœnibus habitaret illa.* Lutherus sic: denn ihr Haus war an der Stadtmauren/ und sie wehnete auch auf der mauren. Ego ita de domo & habitaculo Rahab judico: a deo adhæsisse muro, ut ipse murus constituerit unum parietem partis inferioris domus ejus: superiorem vero partem domus inædificatam fuisse ipsi muro. Tali itaque modo, secundum textum sacrum, & in pariete mœnium tenere potuit habitaculum, ubi familiam habere, ceterosque qui adventabant excipere potuit; & simul habitare in ipso muro, ubi tunc erat, cum pacisceretur de sua suorumque liberatione cum exploratoribus; per cujus domicilii superioris fenestras eos quoque in campum extra civitatem fune demisit. Huic meæ sententiæ assen-



assentiontur viri doctissimi, ut  
 pore Masius, cujus hæc sunt ver-  
 ba : Solent in oppidis populosissimis,  
 qualis erat in primis Jericho, fortu-  
 na tenuioris cives, & præsertim qui  
 artibus quæstum faciunt ab hominum  
 frequentia abhorrentibus, edículas  
 habere in ipsos inedificatas immoli-  
 sasque urbis muros, aut etiam in  
 mœnium fornicatis habitare parieti-  
 bus. Quomodo cum habitaret Ra-  
 bab, essetque eadem una & mœni-  
 um & ejus gurgustii fenestra, qua  
 extra urbem spectabat, cum illac e-  
 missi viri essent, liberum ipsis erat  
 abire quovis (c). Sic etiam S.  
 Schmidius sequentibus verbis :  
 Domus itaque Rabab ita adharebat  
 muro, ut pars inferior extremum  
 parietem, vel extremi lateris parie-  
 tem haberet ipsum murum urbis : su-  
 perior autem pars urbis muro ex eo-  
 dem latere inedificata. Et paucis  
 interjectis ; ita fieri potuit, ut cum



*muris urbis & superior paries domus unum quid essent, illa in linea perpendiculari demittere ex fenestra potuerit exploratores, &c. (d).* Conferatur etiam Clarissimus Buddeus in Hist. Eccl. V. Test. ad h. l. Exhinc patet quoque Flav. Josephum non accurate loquutum, cum diceret, Rahab prope mœnia habitasse. Tectum domus Rahabæ procul dubio, ut aliorum in Palæstina, non fastigiatum erat in cacumen, sed planum, & peribolis loricatis cinctum, ideoque occultandis jam advenis aptum (e). Illic & sicabat expansos פשתי העץ *culmos lini*, vel ut alii, *lina xyliua*, quibus viros studiose velavit. Tessera, de qua convenit, ut a fenestra suspenderetur, interpretes in diversa distrahit, quænam res ex filo coccineo fuerit תקוה, idemne קוה funis, quo per fenestras

nestram demissi sunt viri, an tela, pannus aut vestis. Propius ego notionem radicis respici putem, si *collectio seu fasciculus filii d' baphi* intelligatur.

(a) *Sirac. XXIV. 14. Dieter, Annot. q Bibl. ad Jos. c. 1. Leusden. onomast. Sacr. G. Pasoris Lexic. Græcolat. ad v. isexw. (b) Geogr. l. XVI. Joseph. B. Jud. l. V. c. IV. cfr. Adr. Retandi Palest. lib. III. (c) in Comment. ad Jos. c. II. (d) in Annot. ad Jos. c. II. (e) Dieter. Antiq. ad Deut. XXII. & Pfeiff. Antiq. Ebr. c. XXX.*

### s. V.

**R**Ahab quo minus Cananæam pronunciem, sufficientes non habeo rationes. Sunt quidem Rabbiorum plurimi, qui eam ex septem populis interfectioni destinatis haud esse, acriter insistent, solitis suis innixi figmen-

mentis. Turpe namque ducunt  
 principi populi Dei, ex septem  
 populis sibi uxorem ducere: cu-  
 jus sententiæ defensores præter  
 Rabbinos, eruditorum quidam  
 non esse verecundantur. Quod  
 vero Salmonem nihil prohibue-  
 rit cum Rahaba matrimonium  
 contrahere, quamvis Cananæa  
 fuerit, tum ex dictis, tum infra  
 dicendis elucebit. Cum itaque  
 Rahab in Jericho civitate Cana-  
 an habitaverit, nec sacer codex  
 indicaverit, eam apud cives i-  
 stos advenam fuisse, maxime  
 cum parentes cognatosque illic  
 haberet: eidem illam superstiti-  
 oni religionis, variisque flagiti-  
 is obnoxiam fuisse, quibus reli-  
 quas illius terræ gentes, non  
 dubito. Inter celebriora Cana-  
 næorum idola erant *Baal & A-  
 staroth*: prius quidem in specie  
 coluisse Sidonios ex 1. Reg. XVI.

31 & Moabitas ex Numer. XXII. 41. posterius autem Philistæos ex 1. Sam. XXXI. 10. nec non Sidonios ex 1. Reg. XI. 5. patet. Ea tamen a ceteris quoque Cananæis culta fuisse, præter vicinitatem locorum, convincunt testimonia Sacri codicis, utpote Jud. II. 12. 13. III. 5, 6, 7. Hinc Rahabam cum Ierichuntinis etiam horum idolorum fuisse cultricem, non est cur ambigam. *Baal*, ab  $\text{בַּאַל}$  *dominus*, apud varias gentes est cultus, unde & variis occurrit epithetis, ut *Baal Peor*, *Baal berith*, *Baal se-bub*; nec raro forma *Baalim*, quasi de pluribus diis fictitiis legitur. Sic qui phœnicis & adjacentibus *Baal*, idem a Chaldæis & Babylonis *Bel* dictus (a). Ratio cultus Baalici apud diversos potuit esse diversa. Nonnulla ejus vestigia in sacris litteris sunt

sunt obvia, ut statuam ejus o-  
 sculari, 1. Reg. XI. 18. circa  
 aram saltare, cultrisqve se inci-  
 dere, 1. Reg. XVIII. 26, 28 in-  
 stantes immolare, Jer. XIX. 5.  
 &c. Quis autem sub hoc nomi-  
 ne sit cultus, de eo non conspi-  
 rant eruditorum sententiæ. Qui-  
 dam cum Marte componunt,  
 quidam Jove, quidam Saturno.  
 Aliis *Sol* esse videtur. Alii deni-  
 que ad Chamum, ad Nimro-  
 dum, ad Belum referunt. (b)  
 Alterum idolon, ex forma tam  
 singulari אשבת ע אשבת, quam  
 plurali אשבתות, patet  
 feminini sexus habitum. Inter-  
 pretes Græci Αστάρτη vocant. De  
 origine & notione nominis va-  
 rie sentiunt auctores. Alii repe-  
 tunt id ab urbe Astaroth: alii a  
 venere. Ægyptia Αστρος, vel  
 Phœnicum אשבת; alii a Chaldæ-  
 orum אשבת סל solis: alii ab אשבת  
 &

& עתר ditando & multiplicando: alii ab appellativo Hebræorum עשתרה *fetu*: nostri Antiquarii ab אַסְט & אַסְטַר Goth. alii alium de (c). Si quid video, simplicissimum existimo, ab עַשַׂר dictum עשתרה *fetum*, per epenthesin litteræ ט: unde postea *vis omnia generans & fetificans* denominata videtur. Et quia luna erat inter res primas, quibus mortales in superstitionem delapsi, divinitatem tribuebant, credibile est, eam, ob vim fetificam, sub hoc nomine cultam. Hinc & de Astaroth Jer. XLIV. 17. מַלְכַּת הַשָּׁמַיִם *reginam cæli* intelligi putant. Frustra ergo quæritur, quænam dea fuerit Astarte, Junone, an Venus, an Isis, an Diana, cum res eadem aliis apud alias gentes nominibus nuncupari potuerit. Præterea antiquiores mortalium certis



tis quidem sive hominibus, sive rebus naturalibus, divinos deferre honores cœpere: posterioribus tamen accidit, ut primum *αἰνιθεώσεως* objectum plane ignorant, contenti, sub nomine ad se propagato, numen aliquod colere. Idola hæc in excelsis culta fuisse edocemur ex 2. Reg. XXIII. 13. Num. XXII. 41. nec non in lucis, unde multi sunt, qui Astaroth alio nomine אַשְׁתּוֹרֶת Jud. III. 7. 2. Reg. XXI. 7. &c. dici contendunt. Nec plura fuisse idola Cananæis nego, sed minus celebria tuere, de quibus alii passim (d).

(a) Heidegg. in Enchiridio Bibl. L. II. C. XII. §. III. (b) Dieter. Antiq. ad 1. Reg. XVIII. Buddei Hist. Eccl. T. I per. II. Sect. II. §. VII. (c) Pfeiff. Dub. Vex. ad Jud. c. II. (d) Seldenus de Diis Syris, cum additam. And. Beyeri.

## §. VI.

**O**Vin Josua exploratores hosce duos ad Jericho & circumjacentem terram licite miserit, causa dubitandi justa non adest. Deus namque summus & omnipotens totiusque orbis terrarum princeps, & peccatorum omnium contra legem suam patrum acerrimus vindex, gentes, quas hi a Josua emissi exploraverunt, excidio determinavit, eas iam ob flagitia varia eaque horribilia exquisitissimis afficere pœnis constituens, quas ut ab eis sumerent, Israelitis populo suo in mandatis dedit, eiq; rei gerendæ Josuam ducem præfecit. Hoc ipso non potuit non summus cœli Princeps ei etiam concedere omnia, quæ in justo bello contra hostem licita sunt, inter quæ jus emittendi exploratores etiam collocari potest. Sic  
Deus

Deus Moſen juſſit mittere exploratores ad terram Canaan, Num. XIII. 2. 3. Nec Joſuam credo oblitum, Deum de hujus negotii expeditione conſulere, cum priſtinæ emiſſionis infelicem exitum recenti haberet memoria (1). Exploratores autem in alienum ſolum a ſummo imperante, inprimis belli tempore, patriæ tranquillitatis ergo juſte emitti, naturalis ratio dictat. Cum enim quisque ſuam felicitatem & ſecuritatem juſta quavis ratione curare ac promovere poſſit debeatque; facile apparet, licere non tantum temporibus turbulentis, ſed & pacatis explorare, & prudenti quovis modo inquirere, quid apud circumjacentes agatur, quæque capiantur conſilia, ne forte inopinatum in nos periculum cudatur. Hoc ipſum adhuc magis licebit contra

tra certos hostes, quos proster-  
 nere juste possum, aliquando  
 etiam obligatus sum. Cum itaq;  
 in bello justo liceat contra ho-  
 stem quævis tentare, eumque  
 strategematis ludere, modo per-  
 jura, infames machinationes,  
 & immanis crudelitas absint:  
 non video cur exploratio non sit  
 licita (b). Immo explorationis  
 justam curam habere, pars est  
 prudentiæ militaris, quæ ut a  
 summo duce observetur, quam  
 maxime requirit necessitas rei-  
 publicæ. Quippe cum provin-  
 ciarum urbiumque statum ac si-  
 tum, nec non hostium consilia  
 resciscere possumus; aditus no-  
 bis longe facilius paratur ad ho-  
 stis expugnationem, aut propul-  
 sationem; aut alia quavis ratio-  
 ne ad inserviendum commodo  
 nostro. Cautione tamen opus  
 est, ne pacatis adhuc rebus ex-  
 plo:

ploratores clandestini temere & sine gravibus rationibus emittantur, quorum intentio si detegatur, vicinis hoc ipso nos quam maxime possumus reddere exosos, ansamque inimicitias præbere. Non tamen necesse est hostium in terram nostram expectare irruptionem, quam exploratione facta potuissemus prohibere. Proinde quanquam nec injustum nec imprudens foret, semper in aliorum principum regionibus quosdam habere exploratores, qui nos certiores faciant, quali sint principes isti erga nos animo, num nocere possint aut velint: consultissimum tamen est, siue mutuum aliorum ad hoc consensum elicere, siue saltem specie offensionis minus obnoxia, ut commerciorum aut aliorum negotiorum curandorum gratia, eos ablegare. Tales

Is certe sunt ministri illi, quæ hodie a summis potestatibus ad alios principes certarum expeditionum ergo emitti, & in alienis aulis magnis sumptibus alii solent: quos reapse perpetuorum exploratorum munus obire ipsa nos edocet experientia. Ergo si vel maxime statuas Iosueam in hac re, speciali mandato divino destitutum, nihilominus apparet non iniuste egisse.

(a) *Catovii Bibl. Illust. ad J. f. c. II. dum* (b) *Logei Carla Segerstöld c. XVI.*

#### §. VII.

CETERUM de excipiendis fovendisque exploratoribus generatim pronuntiandum est, clandestinos exploratores hostium suscipere, eosque occultare, nemo civium istius terræ, quo mittuntur, absque proditionis crimine facile potest. Obstrictus  
nam.



namque quilibet est: tales imperanti suo detegere, idque ex pacto, quod ex eo statim, quo civis istius reipublicæ factus est, initum intelligitur, eumque perfecte obligavit ad obedientiam non tantum ac probitatem, verum etiam ad fidelitatem, ut pro virili avertere laboret quævis civitati nociva: cujusmodi metuenda sunt ab exploratoribus, præsertim a certo hoste immixtis. Nihilominus hæc ita sunt comparata, ut casus incidere queat, quo mitius de hac re est judicandum. Quamvis igitur videatur Rahab patriam suam prodidisse, exploratores excipiendos: quo minus tamen eam ab hoc crimine liberem, non video solidi quidquam ob stare. Qui autem eam a perfidiæ scelere liberam esse dicunt propterea, quod factum hoc sit in V. Test. vana spiram

spirare videntur. Inter quos est  
 Franciscus Burmannus (a). Hoc  
 enim factum laudatur in Nov.  
 Test. a viris θεοπρέπειοις, Ebr, XI.  
 31. Jac, II. 25. absurdum ergo  
 est idem in V. T. fuisse permis-  
 sum ac laudabile, quod in N. T.  
 prohibitum ac vituperandum &  
 scriptura & ratio ipsa dicitur,  
 cum salva semper & invariabi-  
 lis maneat juris naturalis aucto-  
 ritas. Certissimum est, si hodie  
 talis casus daretur, minime illicitum  
 fore Rahabæ exemplum imitari.  
 Propius illi a vero abesse videntur,  
 qui a supremo Numinis dominio  
 rationem hujus rei repetunt. Videlicet a  
 Deo cœli terræque Domino gen-  
 tis suæ extirpationem destinata-  
 tam, atque jure summi domini  
 (summum namque & illimitatum  
 dominium Deus in omnia habet)  
 terram Canaan Israelitis  
 tradi-

traditam, nullumque propter-  
 ea amplius jus in eam ob flagi-  
 tia sua Cananaeis esse: adeoque  
 se frustra id conaturam impedi-  
 re, immo nec id licite facere pos-  
 se, ne decreto Dei se opponeret,  
 sciebat Rahab (b). Deus enim  
 uti est supremus omnium Do-  
 minus; ita quoque ejus volun-  
 tati cedent quaecunque ipsi con-  
 traria imperantium jussa. Non  
 ergo perfida in patriam censeri  
 poterat Rahab, quæ fidem in De-  
 um præferebat fidei erga patri-  
 am, cum utriusque eam præstare  
 non posset (c). Cui quidem ra-  
 tioni suum in hac causa pretium  
 statuo, lubensque & ipse ea utor.  
 Verumtamen si sola illa, & ita  
 quidem crude urgeatur, ut con-  
 tendamus Rahabam, simulac ve-  
 ra fide & religione imbueretur,  
 Israelitis fuisse arctissime obstri-  
 ctam, & simul ab omni erga pa-  
 triam

triam diris devotam obligatione solutam, adeo ut quælibet in perniciem ejus moliri jure poterit: vereor, ne duriuscula hæc nodi solutio dicam, an sectio, multis videatur. Mea ita fert sententia. Propone animo tuo casum, si princeps quispiam temerario obfirmatus consilio, & vesano plane impetu in evidentissimam ruat perniciem, remque publicam secum in exitium præcipitem datum eat. Quis sanus civium, perspecto præsentissimo periculo, cui resisti nullo amplius modo queat, salutis suæ tunc consulere, ne communi ruina involvatur, fas sibi non putabit, modo civitati suæ nocere non intendat? Cogita te in eundem casum datum, ubi reluctandi pervicacia nihil jam efficit, nisi iram victoris exasperando, interitum certissimū

maturat aggravatque; & uni-  
 versi tamen cives desperato con-  
 silio funditus perire, quam de-  
 ditionem facere malunt; si com-  
 modam oblata tunc occasione,  
 cum hostium sive legatis, sive  
 speculatoribus, clam pactus sis  
 de proposito non renitendi, &  
 vicissim de securitate, ubi ad  
 extrema ventum fuerit, tibi præ-  
 standa: annon naturali nixus æ-  
 quitate, justam ab aliorum con-  
 scientia exculpationem, omnem-  
 que a perfidiæ crimine immuni-  
 tatem postulabis? Contendes  
 enim, non eatenus te principi  
 & civitati tuæ, a quibus nulla  
 tibi jam salus est speranda, esse  
 obstrictum, ut inconsulto eorum  
 furori victima fias, teque com-  
 muni gentis internecioni cumu-  
 lam adjicias; cum videas, te ne-  
 que tuo casu rempublicam ser-  
 vare posse, neque prodendo de-  
 regen-

tegendoque speculatores ullum  
 ad victoriam momentum addere,  
 sed tibi duntaxat spem salutis  
 præcidere ac disturbare. Quid  
 si insuper de justitia armorum ho-  
 stilium plene sis persuasus? Fa-  
 cile tamen apparet, quod simul  
 erat monendum, magna hic  
 opus esse cautione, ne quis te-  
 mere eam sibi fingat necessita-  
 tem, adeoque de casu ejusmodi  
 rarissimo ac prope singulari ju-  
 dicium non cujusvis arbitrio  
 qualicumque permittendum esse:  
*δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει, cum*  
*contigui sint necessitatis potentiaque*  
*fines (d).* Quod ad Rahabam at-  
 tinet, oratio ipsius luculenter  
 condocet firmissimam ejus per-  
 suasionem de excidio genti suæ  
 certissime impendente, quod nul-  
 la vi, nedam exploratorum de-  
 ditione averti posse vidit. De  
 quo animum ad talia intentum  
 quæ



quæ convincerent, omnia con-  
 currebant. Vis, humana longe  
 major, in rebus Israelitarum u-  
 biqve erat advertentibus conspi-  
 cua. Fama dudum percrebue-  
 rat, horum causa Ægyptum hor-  
 rendis plagis vexatam, exercitus  
 hostiles undis obrutos, viam  
 per medios fluctus marinos ex-  
 siccatam, Arabiae solitudines  
 stupendis celebratas miraculis.  
 Quoqvo se vertissent, omnia tor-  
 rentis instar dejecisse & concul-  
 casse, Amoræos transjordanen-  
 ses occisione occidisse, neqve  
 principem gigantei roboris illis  
 fuisse parem. Numen certe tre-  
 mendum invictissimumqve ca-  
 stris eorum præesse, cui huma-  
 na ope repugnare velle, foret in-  
 sanire. Hac belli mole Cananæ-  
 am præcipue peti, eamqve Is-  
 raelitis in prædam cessuram, non  
 publico tantum rumore fereba-  
 tur;

tur; sed ingruens vis mali jam  
ictum intentabat, tempestasque  
hæc Jordani appropinquabat, Je-  
richuntem, situ proximam, pri-  
mum correptura. Hæc periculi  
gravitate mota, hoc armorum  
horrore percussa, Numinisque  
præsentis majestate tacta, de se-  
curitate sibi paranda juste vide-  
batur seorsim consultatura, cum  
cives suos, qui hæc omnia jux-  
ta secum nossent, furibunda ra-  
tione ultima experturos sentiret.  
Cumque mox exploratorum ad-  
ventu facultas nec opinanti ob-  
tigisset de salute sua paciscendi,  
ne minimo quidem indicio ar-  
guitur, eam aliquid in patriæ  
damnum esse machinatum, ne-  
dum prodendæ ejus consilia agi-  
tasse; sed simplicem tantum  
confessionem edendo, causas  
consilii sui candide aperuisse le-  
gitur. Sic naturali quoque ra-  
tio-

tioni æqvitatem causæ ejus momenta rerum probant. Verum quia insuper divinitus in hisce consiliis erat adiuta, vividius etiam rationes rerum percipere, certiusque de iis iudicare potuit: unde rectius de divinis edocta, pleniusque de justitia causæ Israeliticæ convicta, non modo vindicis Dei potentiam ut par erat reverita est; verum & fiduciam in eum concepit, & in spem erecta est, se non interituram, si ejus ductum sequeretur. Emen- datus ergo hic animi status, quanquam exploratorum salutem consulendum sciebat, simul tamen ab omnibus perfidis patri- æque noxiis moliminibus non potuit non abhorrere. At exploratores, inqvies, ea proden- te statum civitatis cognoverunt. Licet illi sermonem ejus in rem suam prudenter convertere po-

tuerint: illa tamen non animo prodendi arcana patriæ, sed simplici tantum recensione rationum, quibus mota esset, seriam suam intentionem probare voluit, maxime cum dissimulationem ad amolienda patriæ fata nihil jam facere sciret.

(a) *Fr. Burm. Comment. in Jos. c. II.* (b) *Calov. Bibl. illustr. ad b. I.*  
 (c) *Budd. Hist. Eccl. per. II. sect. II. §. II.* (d) *Pythag. Carm. Aur. v. 8.*

### §. VIII.

**V**erumtamen annon Rahab mendacium commisit, cum ministris Regis Jerichuntis, de exploratoribus apud se occultatis, aliter atque res erat responderet? Hugonis Grotii sententia, mendacium viris bonis salutare, ante euangelium culpæ non esse ductum, juris naturalis indolem, quantum in se est, tollit,

lit, si alium id in N. Test. habitum induisse dicatur. Junius putat responsum illud Rahab, quod dedit regiis nunciis, intellexisse de aliis hospitibus, qui domo ejus egressi sint; de exploratoribus tacuisse; & sic opus fuisse providentiæ divinæ: alios hospites receptos jamque egressos ex veritate indicari; alios vero ex fide & caritate occultari dissimularique (a). Sed hac fictione non est opus, neque ea cum historiæ textu conciliari potest. Adventantibus enim iis, qui a rege erant emissi, exploratores quærendi deducendique causa, Rahab eos abscondidit, ne inquisitione a regiis nunciis instituta comprehenderentur. Cum itaque hi regii ministri domum ejus intrarent, ac percontarentur, ubinam viri isti essent, qui domum ejus sint ingressi, vene-

rintque terram & civitatem eorum exploratum : dixit, ibi viros quidem quosdam fuisse, sed qui die in vesperam inclinante inde discesserint : si vero festina-  
rent, eos forsan adhuc capere possent. Quomodo ergo indica-  
vit ex veritate viros ad se diver-  
tentes inde jam discessisse, cum  
fatis intelligeret, ministros regi-  
os de iis ipsis, quos occultavit,  
quæsiuisse? Nec puto eam re-  
sponsum hoc dedisse deridendi  
regem ejusque ministros tentan-  
di causa : alienum namque hoc  
videretur ab ejus probitate pieta-  
teque. Relinquitur igitur, ut re-  
sponsum hoc falsiloquium, adeo-  
que licitum fuisse existimem.  
*Mendacium, si verbis utar Bud-  
dei, est discrepantia verborum aut  
signorum, a nostris cogitatis, que al-  
ter ex nobis intelligendi jus perfectum  
aut imperfectum habebat. Si nul-  
lum*



lum jus habuerit, nostram sententiam intelligendi, *falsiloquium* vocatur (b). Verba itaque Rahabæ non fuisse mendacium exinde patet, quod ea jam regi Jerichuntis obstricta in hoc puncto non fuit veritatem dicere, quoniam ille jure suo veritatem poscendi privabatur, cum deditioem facere nollet, sed belli fortunam adversus populum Dei tentaret, cui Deus omnium Dominus terram Canaan cum incolis suis iusto iudicio subjecerat. Rahab jam consilium Dei melius edocta, eum noluit offendere; ejus propterea præceptum ut superioris, mandato inferioris seu Regis Jerichuntini anteferendum jure duxit. Hæc enim observandum quod Grotius inculcat; nempe resciscendæ veritatis jus tolli etiam oppositione juris alterius, quod communi omnium iudicio  
multo

multo plus valeat (c). Proinde Rahab nullo modo debuit, neque sine crimine potuit, impium, divinisque consiliis rebellem regis conatum adjuvare. Præterea detectio exploratorum vana omnino videbatur futura, neque ad salutem patriæ quidquam collatura, quin potius sortem ejus duriores redditura, cum contumacijs omnibus perniciem certo determinatam, neque nisi forte deditioe facta evitabilem, sciret. Contra ne res ut erat proderetur, & sua & exploratorum, quorum omnium caput agebatur, multum interesse vidit. Utrisque ergo consulere, officium ejus erat. Sibi, quam civitas sua amplius servare neque potuit, neque honesta ratione voluit. Exploratoribus vero, quos in justa causa de vita periclitantes, quantum potis esset, a

vi protegere, & in tuto collo-  
 care debuit. Hunc autem fi-  
 nem non aliter, ne reticendo  
 quidem rem, nisi felici illa fi-  
 ctione adsequi potuit. Sermone  
 igitur, qui in usum hominum,  
 non damnum natura nobis est  
 datus, ita uti æquum censuit,  
 ut sibi aliisque emolumentum  
 pareret, noxam vero arceret,  
 nullius tamen jus eo læderet.  
 Quamobrem & dicta a cogitatis  
 discrepantia, siquidem ad eum  
 tendebant scopum, non potuit  
 non probare (d). *Lege quidem  
 naturali consummatissimus exigitur  
 actionum internarum & externarum  
 consensus, nec temere falsoque  
 committenda sunt, etsi in nullius ce-  
 dant damnum, modo non sint medi-  
 um unicum damnum advertendi, com-  
 modum vero nostrum vel alterius pro-  
 movendi; sunt verba Thummigii  
 (e). Quo casu signa ab animi  
 sen-*

lensis aliena, mendacii non esse arguenda, ipse sermonis finis docet. Unde si sermone simplici ac aperto alteri damnum afferremus, nec nos finem intentum obtinere possemus: tunc non modo licitum, verum etiam præceptum est aliquando, vel silentio, vel dissimulationibus, vel fictionibus uti, modo ad finem debitum faciant, ut alteri nulla inferatur injuria aut damnum, nostrum tamen vel alterius commodum augeatur: e. g. cum pertinacia alicujus frangenda, malum alterius propositum intervertendum, aut iratus placandus, aut vita innocentis servanda est. Conferantur Grotius (f), Puffendorffius (g), Hochstetterus (h).

(a) *in notis suis ad Jos. c. II. v. 4.* (b) *pb. pract. p. II. c. IV. S. VI. §. 5.* (c) *J. B. & P. III. l. §. II.* (d) *Bud-*

*Buddei ph. pr. p. 11. c. IV. § VI. § 4.*  
*(e) in instit. ph. Wolf. t post. inst. ju-*  
*ris N. c. V. §. 121. (f) J. B. & P. L.*  
*III. c. I. §. 16. & c. (g) Jure N. &*  
*Gentium l. IV. c. 1. §. 16. & Offic. H.*  
*& C. l. 1. c. X. §. 9. (h) Coll. P. Exerc.*  
*7. §. 14.*

### §. IX.

**D**Eus, quippe qui populum  
 Hebræum singulari tædere  
 dignatus est, ei severe interdixit,  
 ne cum Cananæis pacem pacta-  
 que faceret, ut Exod. XXIII. 32.  
 XXIV. 12. 15. Deut. VII. 2.  
 3. Unde exploratores minus re-  
 ète fecisse argui possunt, dum  
 vitam Rahabæ pollicebantur. E-  
 go de extirpatione populi Ca-  
 nanitici ita sentio: quod sc. ii tan-  
 tum, qui bello sese Israelitis,  
 terræ hujus a Deo destinatis pos-  
 sessoribus ( Cananæi enim jam  
 jure possessionis ob facinora ne-  
 fan-

fanda a se patrata erant privati) opposuissent, pacemq; nec ipsimet petiissent, nec oblatam susceperant, & sic in impietate & contumacia, sua perseverassent, internecioni forent dandi. Qui autem vel ipsi pacem postulassent, vel solummodo oblatam acceptassent, & sese Israelitarum imperio subjecissent, servitutem subeundo, tributa persolvendo, securitatemque præstando, ne vel rebelles essent futuri, nec ullos a vero Dei cultu averfuri, ab excidio essent liberandi. Loca enim illa scripturæ non sine restrictione esse intelligenda, ex adjecta ratione interdicti facile colligitur. Prohibetur ergo non *fædus deditiois*, sed tantum *fædus sociale* cum iis inire, ne una sit affinitas, habitatio communis, ac conversatio familiaris; maxime dum tales manserint.

Ratio



Ratio sumitur ab eventuris malis, utpote falso deorum cultu, aliisque hinc fluentibus incommodis, ut erat gens illa flagitiis infamis. Hoc ipsum ulterius corroborari videtur Deut. XX, 10. 11. &c ubi sacer scriptor in exponendo jure belli Israelitarum contra eorum hostes est occupatus, idque modo sequenti. Cum oppugnaturi essent civitatem aliquam, primum debebant ad pacem invitare eam; quam se colere velle si responderet, erat obstricta Israelitis servitium præstare, tributumque solvere: oblatam vero pacem si non acceptaret, interimendi erant homines, civitatesque evertendæ. Hoc tamen discrimen observandum fuit inter ipsos Cananæos, & extra terram Canaan habitantes, ut inter hos soli masculi trucidandi essent, feminis autem ac

infantibus jumentisque vita con-  
 donanda: inter illos vero nulli  
 parcendum, sed omnes interne-  
 cioni dandi. Istam paciscendi  
 libertatem etiam ad Cananæos  
 pertinere, patet tum exemplo  
 Sihonis Amoræi, cui pax oblata  
 Deut. II. 26. tum ex Jos, XI. 19.  
 ubi proxima excisionis eorum  
 causa perhibetur contumacia,  
 quod pacem cum Israelitis nol-  
 lent. Unde sequitur, si voluissent,  
 eam impetraturos, exemplo Gi-  
 beonitarum. Quare autem non  
 tam facile cum Cananiticis gen-  
 tibus ac cum aliis longinquis pa-  
 cta inire Israelitis esset licitum,  
 causa erat, quod illæ majora tur-  
 pioraque, quam ceteræ, com-  
 misissent flagitia, adeoque gravi-  
 oribus etiam afficiendæ pœnis.  
 Maxime tamen ob periculum se-  
 ductionis tanto gravius, quanto  
 propinquior situs, & frequenti-  
 or

or conversatio Cananæorum Is-  
 raelitis erat futura. Deus enim  
 perspiciebat animum Israelitarum  
 ad superstitionem satis pronum,  
 non tantum quotidiano convictu  
 liberiore profanorum morum  
 contagionem facile admittere;  
 verum & adfectum in detestanda  
 religione adversa refrigescere, &  
 sensim impietatis exemplo in i-  
 dololatriam abripi. Grotius hu-  
 ic quoque assentitur sententiæ,  
 ubi cum hisce populis tum de-  
 mum fœdus iniri non potuisse  
 censet, si in idololatria perstarent,  
 atque imperium detrectare vel-  
 lent (a). Cui & accedit b. D.  
 Lutherus, *heis attendendum esse*  
*dicens, quod Moses gentes istas non*  
*simpliciter perdendas censet, sed si*  
*indurate perseverarent, alioqui pax*  
*illis offerenda fuit, & ipsæ toleran-*  
*de, si converterentur ad fidem Isra-*  
*elitarum, sicut Gibeonitis & Rahab*  
*merc-*

*meretrici contigit (b)*. Cum itaq; Rahab ad summum Numen vere conversa, insigni edita confessione & egregioque fidei documento probaret, se vitiis religionisque superstitioni renunciasset, nullum ulterius ab ea periculum seductionis erat metuendum. Unde potestatem cum ea paciscendi fuisse liberam, adeoque foedus exploratorum cum illa initum, justum licitumque pronuntiandum apparet. Idque tanto magis, si cogitemus ne religionis quidem diversitatem foederibus obstare, quippe quæ naturali æquitate ferire licet cum omnibus iis, quorum commodum ac utilitatem promoveri, & a quibus nobis ipsis commodum percipere non est illicitum (c). Non enim statim qui secus ac debent de Deo sentiunt, si atheos excipias, juris naturalis communio-

nione privandi; cum nefas non sit illorum commoda promovere, aut ab iis aliquod commodum percipere, modo sedulo caveatur, ne religio nostra morumque honestas perichitetur (d).

(a) *J. B. & P. L. II. c. XV. §. 9.*

(b) *in annot. ad Deut. c. XX. v. 11. tom. 3. lat. Jen. 96.* (c) *Budd. ph. pract. p. 11. c. IV. S. V. §. 11.* (d) *Budd. Tb. mor. p. 11. c. III. S. IV. §. 13. & ph. pract. p. 11. c. IV. S. V. §. 11. 13.*

### §. X.

CUM pactum cum exploratoribus faceret Rahab, voluit etiam statim hoc eorum promissum de sua suorumque ab excidio Jerichuntino ereptione jurando confirmari. Sciebat namque eo magnum addi firmamentum omnibus actibus, quibus sermo intervenit (a): Ideoque omne sibi

sibi dubium eximi desideravit de hoc promisso, quod ne effectu destitueretur, sua permagni interesse novit. Viros etiam illos probos non animi adeo putabat esse profani, ut Numinis omnificii omnipotentis, & misericordiæ renunciare, ejusque pœnam horrendam in se deposcere vellet: quod jurejurando violato fieri non ignorabat. Ut religiosos decet homines, erant quam maxime ab utraque parte solliciti, ne sese perjurii crimine ullo obstringerent, si rem in ancipiti relinquerent, & justo laxiorem facerent interpretandi licentiam. Tres itaque conditiones exploratores Rahabæ proposuerunt, quas si non observaret, liberi a sacramento ipsi forent, omnisque mali exitus innocentes: ceteroquin summa religione, quod jurato promisissent, præstituri. Illa

vicis-



vicissim conditiones oblatas se  
 fideliter impleturam spondit.  
 Tantum certe abest, ut lex po-  
 sitiva Divina & naturalis jurare  
 vetent, ut hoc ipsum non tan-  
 tum licitum, verum etiam præ-  
 ceptum sæpe esse inculcent. Jura-  
 re expresse mandatur Exod.  
 XXII. 12. & Deut. VI. 13. X.  
 20 ubi indicari videtur, per De-  
 um juste jurare, esse partem  
 cultus divini. In quibus tamen  
 casus, qui juri jurandi religione  
 dignus sit, ne temeritate vile-  
 scat, supponitur. Immo plu-  
 rima sanctorum exempla, jura-  
 re non esse illicitum, satis su-  
 perque probant. Jus naturæ no-  
 bis quoque injungit jurare, ne-  
 cessitate hoc requirente, utpo-  
 te in confirmandis pactis pro-  
 missisque, in stabiliendis testimo-  
 niis, alibi que. Jurandum itaque  
 existimo, si res id exigat, sed

tantum in re licita; cum injustū jurando nunquam possit reddi justum. Jusjurandum namque novam non producit obligationem; sed validæ jam obligationi novum & immutabile addit vinculum, & sic tantum est pacti promissive antea jam existentis confirmatio (*b*). Quod contra Grotium est observandum (*c*). Quandoquidem igitur fœdus exploratorum cum Rahaba initum justum ac licitum fuit, etiam firmamentum ejus, jusjurandum, licitum ac justum sit necesse est. Et quemadmodum obligati erant illicum Rahaba id exigente de securitate ejus pacisci; ita pari tenebantur obligatione, idem pactum, Rahabæ flagitanti, sacramento confirmandi. Hæc fides jurata non amplius potuit, servatis pactis conditionibus, ne ab ipsis quidem,

dem, nedum ab ullo alio rescindi & irrita reddi: siquidem ad dandam eam speculatores neque dolo feminæ hujus, neque metu injusto ab ea incusso, erant adacti.

(a) *Puf de off. H. & C. l. 1 c. XI. § 1.* (b) *Budd. T. m. p. II. c. III. S. V. § 12. & pb. pract. p. II. c. IV. S. VI. §. 10.* (c) *J. B. & P. L. II. c. XIII. §. 14.*

§. XI.

CUM Josua per potestatem sibi a Deo concessam duos hosce exploratores, qui non potuerunt non esse viri pii ac cordati, ad terram Canaan emitteret; sine dubio iis ea permitte agenda, quæ eorum negotio propositoque fini non repugnant, & quæ cum lege divina congruerent. Quæ potestas cum concessa illis intelligatur, non potuit non illa complecti facul-

tatem cum Cananæis benigne eos excipientibus, & de deditione sua agentibus, pro re nata, fœdus de sua illorumque securitate fanciendi confirmandique. Hoc enim paciscendi arbitrium voluntati divinæ non repugnare, supra ostendi. Præterea id ex ipsa negotii natura necessario fluit, quippe quod alioquin non perfici, neque finis intentus obtineri potuit. Nam si speculatoribus integrum non fuisset, Rahabæ de securitate cavere, & illa spei irrita eos prodidisset; certum est, neque ipsos servari, neque civibus suis utile præstare ministerium potuisse. Attamen utrumque Josua voluisse merito censetur, tum ut viri isti probi publicæque utilitatis ministri honesta quavis ratione servarentur, tum ut nuncio per illos allato certior de rebus Cananæorum fieret-

fieret. Hoc ergo ipso Josuam  
 pactis sponſionibusque hiſce fuiſſe  
 obligatum, clariffime patet;  
 maxime cum ille omnia benefi-  
 cia, quæ Rahab exploratoribus  
 ſummo cum vitæ periculo præ-  
 ſtitit, ſibi eſſe præſtita, judicare  
 omnino deberet. In genere autem  
 notandum, ſummos imperantes  
 pactis sponſionibusque legatorum  
 ſuorum, aliquando obſtringi, ali-  
 quando non item. In omni-  
 bus quidem ſtrictè ad mandatũ  
 imperantis, bonaque fide, habi-  
 ta officii ſui ratione, actis a mi-  
 niſtro reipublicæ negotiis, æquis-  
 ſimum videtur imperantem ob-  
 ligari. Alioquin nemo extero-  
 rum certus eſſet, num hujus-  
 modi pactum facere tutum eſſet,  
 nec ne: cum ſciat imperantem  
 omnia, quæ miniſtri ejus agunt,  
 ad ſuum nutum poſſe mutare;  
 Pari ratione hac de re judicat  
 Thomafius, dum dicit; *ſi enim*  
*pro-*

*promittimus, vel ipsi, vel per alios*  
*homines, quos velut internuncios vo-*  
*luntatis nostræ & interpretes esse*  
*voluimus. Hi igitur si bona fide ege-*  
*rint, neque fines mandati manife-*  
*stos exceſſerint, firmiter nos iis,*  
*cum quibus nostro nomine pacti sunt,*  
*obligant (a). Si autem ministri*  
*negotia demandata vel non se-*  
*cundam instructionem sibi da-*  
*tam, vel prorsus contra eam*  
*expedierint, summum imperan-*  
*tem iis non obligari justum est.*  
*Quod si sponsiones, quæ proprie*  
*vocantur ista pacta, quæ a mini-*  
*stro summæ potestatis, in nego-*  
*tiis ad eandem spectantibus sine*  
*ipsius mandato ineuntur (b),*  
*sub conditione fuerint datæ, qua-*  
*tenus sc. summus imperans e-*  
*as habiturus sit ratas, & is post*  
*earum relationem de iis senten-*  
*tiam suam non dixerit, eum iis*  
*annuisse probabiliter potest con-*  
*cludi.*



cludi: qui enim sciens & præ-  
 sens tacet, consentire videtur  
 (c). Quæ vero sponfiones abso-  
 lute & simpliciter sine ulla restri-  
 ctione sunt factæ, quarum ta-  
 men confirmatio differri potuit,  
 eis summus imperans non obli-  
 gatur. At in hac Rahabæ explo-  
 ratorumque conventionem præ-  
 sentissima necessitas absolutum  
 mox exigebat firmamentum: er-  
 go neque a Josua, neque popu-  
 lo rescindi, juste potuit.

(a) *Jurisprud. Div. L. II. c. VII.*  
 §. 114. 115. (b) *Puffend. de off. H. &*  
*C. L. II. c. XVII. §. 8.* (c) *Grot. J. B.*  
*& P. L. II. c. IV. §. 5.*

## §. XII.

**P**romissa exploratorum, Ra-  
 habæ data, firma validaque  
 fuisse, etiam ipso eventu pate-  
 scit: eam enim cum omnibus  
 suis ab excidio Jerichuntino ser-  
 vatam

varam legimus Jos. VI. 23. 25.  
 idque ad mandatum ducis Joluæ,  
 qui sese ad hoc conficiendum  
 fatis perspiciebat obstrictum. He-  
 bræi, quotquot ex alienigenis se-  
 se iis dediderunt, pro vario eo-  
 rum accessionis modo distingue-  
 bant. Qui totam legem recipie-  
 bant, eamque ob causam in i-  
 psam ecclesiæ communionem  
 transibant, eodem prope cum  
 reliquis ejus membris jure frue-  
 bantur, גר צדק h. e. *profelyti ju-*  
*stitiæ* nominati. Qui autem  
 repudiata idololatria, VII tantū  
 præcepta Noachidarum observa-  
 bant, nec ad ecclesiam Israeliti-  
 cam pertinebant, sed in republi-  
 ca tantum tolerabantur, גר  
 שער *profelyti porta*, & גר תושב  
*profelyti domicilii* sunt vocati (a).  
 Rahabam profelytis justitiæ esse  
 annumerandam, neminem in-  
 ficias iturum existimo. Illa e-  
 nim

nim miraculis inter Israelitas pa-  
 tratis excitata, fidem concepit  
 in verum Deum cœli terræque  
 Dominum. Quæ fides ejus post-  
 ea adeo evasit firma, ut con-  
 tra regis sui præceptum explo-  
 ratores Israelitarum non tantum  
 susciperet, verum etiam occul-  
 taret, & inviolatos dimitteret:  
 quæ omnia cum præsentissimo  
 vitæ periculo erant conjuncta:  
 unde & præstantissimis fidei ex-  
 emplis accensetur ab apostolis,  
 Hebr. XI. 31. Jac. II. 25. Num  
 Rahab nostra fuerit nupta pri-  
 mum ipsi Josuæ, ut nonnulli Ju-  
 dæorum volunt, est res, de qua  
 tacer codex nihil commemorat.  
 Eandem autem esse hanc, cujus  
 Matthæus c. I. 5. meminit, ex  
 qua Salmon, dux tribus Judai-  
 cæ, suscepit Boazum, proavum  
 Davidis, communis est erudito-  
 rum sententia. Eam tamen nu-  
 per

per cl. *Outhovius* in dubium vocavit, variis contendens rationibus non Hierichuntinam hanc, sed aliam illic *Rachab* memorari (*b*). Verum istæ mihi quidem tanti non videntur, ut ab orbita dimovear, cum nulla appareat ratio, cur ignobilis quædam ignotaque antea femina, quæ scripturis veteris Testamenti, ut *Thamar*, *Ruth*, *Bathseba*, non esset celebrata, catalogo illi sit inserta. Quo vero tempore matrimonium cum *Salmone* contraxerit *Rahab*, inter Chronologos non convenit, 480 annos, ab exitu ex *Ægypto* ad jacta à *Salomone* templi fundamenta, transactos indicat auctor prioris libri *Regum* c. VI. 1. Demtis hinc 40 annis itineris in deserto, & 70 annis vitæ *Davidis*, regni que *Salomonis* 4, manent 366, ad nativitatem *Davidis*. Cumque

que inter Salmonem Rahabæ  
maritum & Davidem tres solum-  
modo intercesserint generatiões,  
sc. Boaz, Obed & Jesse, Ruth  
IV. 21, 22, 1. Chron. II. 11. 12  
Matth. I. 5 hinc difficultas quæ-  
dam oritur in explendo istorum  
366 annorum numero. Non  
tamen necesse ducō Lyrænum se-  
qui, qui tres distinctos fuisse Bo-  
azos existimat, sibi invicem suc-  
cedentes, nempe, patrem, fili-  
um & nepotem; huic calculo  
occasionem sumens a Josepho,  
qui historiam Ruthæ ad tempora  
usque sacerdotis Eli rejecit. Ne-  
dum eorum probare possum sen-  
tentiam, qui inter Salmam &  
Boaz quatuor exclusas esse gene-  
rationes fingunt: id enim si es-  
set, non tot locis constanter ea-  
dem genealogiæ series inculcare-  
tur. confer Pering-köldium (c).  
Tutius vero traditis a Scriptura

inhæremus, modo annos, quibus singuli generare potuerint, ita constituamus, ne quid absurdi inde sequatur. Pono itaq; Boazo, Obedo, Isai, centenos singulis annos, aut paulo supra: maxime cum constet, Boazum fuisse senem, cum Rutham duceret Ruth. III. 10. & Isai admodum grandævum, Davide adolescente, 1. Sam. XVII. 12. Non omnem superabit fidem, ista ætate eos tunc genuisse, cum vegeta magis esset senectus hominum. Anni, qui supersunt, sine incommodo tribui Rahabæ possunt, si statuatur illa 20. annos nata, cum Israel terram Canaan occuparet, nec statim Salmoni nupsisse, nec nisi demum ætate proveñior Boazum peperisse (d). His prætermisissis, dispiciendum est, num Salmoni licitum fuerit cum Rahaba Cananæa  
 matri-



matrimonium inire. Quam quæ-  
 stionem affirmare non dubito,  
 certo sciens eos, qui quæstio-  
 nem hanc negant, in explican-  
 dis scripturæ dictis huc facien-  
 tibus justo esse rigidiores. Nam-  
 que Exod. XXXIV. 16. conju-  
 gia prohibentur cum Cananæis  
 tantum in idololatria perstanti-  
 bus, ob periculum seductionis;  
 non autem cum conversis (e).  
 Ita nec Deut. VII. 3. meæ obstat  
 sententiæ; nam illud valet dum  
 in superstitione manerent; cum  
 autem se ab ea averterint, ces-  
 sat etiam ratio præcepti (f). Pa-  
 ri itaque ratione lex heic limita-  
 ri potest, ac in excindendis gen-  
 tibus Cananæis. Immo Deus ipse  
 Deut. XXI. 11. 12. concedit  
 cum gentilibus ad se conversis  
 populo suo matrimonium con-  
 trahere: ita tamen, ut multo vi-  
 liores præscriberet his nuptiis  
 con-

conditiones: idque eum in finem, ne animos ad ejusmodi connubia facile adpellerent, quod religioni piisque moribus periculum esset a feminis nondum satis perspectis. Hæcce vero ad prohibendum Salmonis matrimonium cum Rahaba nihil faciebant. Erat Rahab quidem Cananæa, sed jam conversa, & documentis quidem tam evidentibus probata, ut de integritate ac constantia eius nullum superesse dubium posset. Sed hæc delibasse sufficiat.

כבוד ליהוה לעולם

- (a) *Conr. Ikenii Antiq. Hebr.* p 1. c. 1. §. 12. *Pfeiff. Antiq. Ebr.* c. 1. *L-usd. Philol. Ebr. mixt. Diff. XXI G. dw. Mos. & Ar.* l. 1 c. III. § c.
- (b) *Conf. J. C. Wolff. Cur. Philol. in Matth.* c. I. v. 5. (c) *in Tab.*

*Genealogicis p. 88. (d) Friedlib. in  
Theol. exeg. ad Matth. c. I. (e)  
Calov. Eibl. illustr. ad Exod. XXXIV.  
16. (f) Polus in Syn. Crit. ad  
Deut. VII. 3.*

Fratri meo patrueli,  
De  
RAHABA HOSPITA EXPLO-  
RATORUM  
egregie differenti,

**I**nvaluit jam pridem mos, ut pu-  
blica, & Litteraria cum prius in-  
dustriae specimina, publicis item exci-  
perentur amicorum plausibus. Quod  
officii genus, quemadmodum ab ani-  
mo & adfectu scribentis suum habet  
pretium: ita vitio mihi verti intelli-  
go, idq; jure meritoq; si Tibi, frater  
carissime, de re minime otiosa gravi-  
ter jamjam differenti, meum non te-  
starer gaudium. Quamobrem ne mul-  
tis pauca complectar, sed paucis potius  
multa, gratulor Tibi has ingenii &  
industria tua primitias, & sincere  
voveo

voveo, velit Deus fructus, hinc sus  
gratia provenientes, ad suam gloriam  
dirigere. Sic namque & ipse felix præ  
miisque abunde oneratus eris. Tibi

Amicitia non minus quam sangui  
nis nexu junctus

Jac. Haartman J. Fil.

Fratri Carissimo.

**I**ngenii specimen de Rabab Hospite fi  
da,

Dum tradis pulcrum pulcre, mi Frater  
amande:

Ex animo voveo, velit omnipotens sa  
tor orbis,

Prospera fata Tibi largiri & premia  
digna!

Gustav. Haartman, Gab. Fil.

Frater Amantissime.

**P**ulcrum sane est & honestum, ut qui  
litteris se adseruit, hujus quoque stu  
diorum apud alios exstet ratio. Hinc præ  
claris Tuis, Frater honoratissime, gratu  
lor conatibus, votisque, quod reliquum est,  
impleo. Nec enim calcaria sponte curren  
ti addam. Vale.

Joh. Haartman, Gab. Fil.